DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PESTE ORIENTALI,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea,
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
IN CELEBERRIMA
C. R. MILITARI
scientiarum academia medico-chirurgica
VINDOBONENSI JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Constantinus Spies,
Semlino Syrmiensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae
Josephinae die 5 mensis Junii 1837.

VINDOBONAE,
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

AVUNCULO OPTIMO

BENEFACTORI SUMMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO STADLER,

CELSISSIMI ARCHIDUCIS FRANCISCI

CUBICULARIO C. R.

MERITORUM CIVILIUM NUMMO AUREO MAJORI

DECORATO

IN AETERNAE GRATITUDINIS

ET VENERATIONIS

MONUMENTUM.

FRATRI DILECTISSIMO

LUDOVICO SPIES,

IN INCLYTA COMMUNITATE MILITARI
PETROVARADINENSI POLITIAE
COMMISSARIO C. R.

IN PERENNIS AMORIS SIGNUM

HOC SPECIMEN INAUGURALE

DEDICAT

Auctor.

PROOEMIUM.

Lauream adspirans, lege academica ad scribendum obligatus, suscepi tractatum de peste conscribendum, utpote morbo, patriae meae vicino, in praxi non obvio, medicisque Europaeis parum noto, cujus tamen cognitionem praeprimis medico castrensi summe necessariam putavi. Contuli, quae in auctoribus dispersa legi, in id praeprimis adlaborans, ut, quibus statim cognoscatur morbus, prima phoenomena exhibeam, morbus enim hic facilius praeverti, quam evolutus sanari potest; exsurrexit inde, viribus inbecilibus, et temporis angustiis quibus admodum premebar adaequata *Dissertatio inauguralis.*

§. 1.

Quae terrae calidae certas regiones vastat, pestis orientalis, constitutionis endemicae, et morum gentilium progenies est, solo paterno alligatur, nec alias provincias unquam visitat, nisi contagio disseminata. Huic observationi medicorum, et illi innixae experientiae in acceptis referendum, quod tanto generis humani flagello limites ponere, et nos contra illud securos reddere valeamus; contagium enim fixum non propagatur si contactus non conceditur. Insigniter terrae Austriacae sese muniverunt contra hunc hospitem insidiosum per instituta sua, quae Quarantaine dicuntur; ut ab illo vix quidpiam timendum habeamus.

§. 2.

Nihilominus multae adhuc viae patent, quae possibilitatem propagationis contagii admittunt, et quas intercludere perardue conceditur, nempe per negotiationes cum mercibus interdictis, per vagabundos, per animalia etc. quod eo periculosius est, quum pestis orientalis, contagio diffusa nec terris septemtrionalibus parcat, prouti hoc pestis occidentalis (febris flava) facit, proinde quaqua vorsum propagari possit; id docent exempla, non solum aetatis mediae, ubi integrae urbes interiverunt; sed recentiori etiam tempore id contigit; anno 1770 finito bello Turcico exercitus Russicus hujus morbi

semina in patriam attulit. Abripiebantur initio pauciores; medici vero hostem periculosum non cognoverunt. Interea propagabatur per ingentem metropolim pestis, et dum cognosceretur, jam illi obices poni non poterant; intra spacium unius anni interiverunt 120,000 homines *).

§. 3.

Princeps et maximi momenti negotium est illorum, quarum curae salus publica concreditur, omnem contactum cum rebus et individuis de contagii susceptione suspectis prohibere; et si nihilominus morbus transferretur, illum in prima origine trucidare, quod omnino possibile est, quum prouti commemoravi, apud nos mediante aëre nunquam, sed semper tantum per contactum communicetur.

§. 4.

Patet hinc summa necessitas, morbum in primis suis apparitionibus cognoscendi, ut ea, quae leges saluberrimae jubent, illico applicari possint; si pestis in nostris ditionibus diffunderetur, id unice per neglectionem legum publicarum contingere posset.

Si medici Moscaviae morbum statim cognovissent, perfacile ejus propagatio praecaveri potuisset. Sed an mirum, si medici morbum, quem nunquam viderunt, et cujus exempla apud nos admodum rara sunt, non illico noscant, de ejus natura certant, eum cum aliis maligni characteris morbis confundentes, et interea morbus ultra dissipatur?

---

*) Samoilowitz, Mémoire sur la peste etc.

§. 5.

Quam grave proin, et magni momenti officium gerit ille, cujus est saluti publicae invigilare, cum per illius scientiam et solertiam populus ab infensissimo hoste defendatur, et contra per illius ignorantiam aut negligentiam integrae provinciae devastari possint! Quanti momenti negotium est in specie, medici castrensis in confiniis militaribus officiis fungi, et quam necessarium, morbi, de quo loquimur symptomata exacte noscere!

§. 6.

Veteres nomine pestis (λοιμός) diversissimi generis morbos intellexerunt, dummodo certum malignitatis et epidemicae diffusionis gradum attigerunt; hinc difficile est chronologicam hujus morbi progressionem prosequi. Qui perpendit, plagas Orientales: Syriam, Aegyptum, Palaestinam, Aethiopiam, fertilissimam, si non unicam esse hujus morbi patriam; qui porro perpendit, has terras etiam pro artis medicae incunabulis habendas esse; facile conjiciet, quod hic morbus antiquissimis etiam medicis notus esse debuerit. Inveniuntur quidem mentiones de morbis pestilentialibus in Hippocratis, Archaei, Galeni operibus, imo in scriptura sacra, nequaquam tamen evictum habemus, quod de ea morbi specie sermo fuerit, quam nos sub nomine pestis orientalis intelligimus. Nec certum est, an pestis Atheniensis, quam Thucidides describit, typhus orientalis, vel typhus contagiosus, qui in nostro etiam climata primitus evolvitur, fuerit.

§. 7.

Primam pestis bubonicae descriptionem ejusque in Europa adparitionem saeculo decimo sexto

invenimus ab Aventino et Procopio traditam. — Ortum duxit ex Antiochia, hinc Byzantium venit, inde per Italiam, Galliam et Hyspaniam divulgabatur. Morbus, quo Petrarcae adorata Laura abrepta fuit, pestem anthracicam fuisse ex scriptoribus coëvis colligitur.

Saeculo decimo octavo loimologia maxima cepit incrementa, quo non solum in variis Europae provinciis a meritissimis viris: Chenot, Schraud, Minderer, Samoilowitz, sed in ipso patrio solo a Russel, Lavrey, Pugnet, L. Frank, Wolmar observationes institutae sunt.

§. 8.

Pestis orientalis nomine insignitur morbus exanthematicus contagiosus cum bubonibus, furunculis et maculis sphacelosis vinctus.

§. 9.

Sunt alia sypmtomata, quae in omnibus, peste correptis, occurrunt = symptomata essentialia; alia vero quae a constitutione individui, a climate, ab anni tempore et aliis, diversissimo modo modificantur.

§. 10.

Peste correpti omnes, qui non repente intereunt, vel in animi deliquium, aut delirium incidunt, de repentina universali jactura virium queruntur. Accedit cephalea frontalis, appetitus dejectio, respiratio difficilis, brevis, vox debilis, rauca, loquela blaesa; non multo post horripilatio in spina dorsi ad nucham serpens, sensim augenda.

Supervenit inquietudo, qua aeger cogitur situm continuo mutare, quin obtatum situm obtinere possit; cephalea augetur, et aeger caput ambabus manibus terere solet. Oculi evadunt fixi, ferme immobiles; obtutus fixus, ut maniaci; in angulis oculi internis comparent maculae sanguineae, inprimis caruncula lacrymalis velut sanguine suffusa cernitur. Adest somnolentia, vomituritio, motus convulsivi extremitatum superiorum et linguae accedunt. Continuum, et necessarium symptoma est ignis sensus in praecordiis, qui tantum abest, ut a sordibus nascatur, ut potius vomitu insigniter augeatur; cardialgia haec angoribus, et siti immensa juncta, saepe per delirium etiam manet, ut aquam frigidam anxie petant, imo in puteos sese coniicere studeant aegri. Interdum tument hypochondria et abdomen. Pulsus debilis, normali frequentior; accedit sopor, qui supervenientibus novis symptomatibus interrumpitur.

§. 11.

Symptomata vero non essentialia tam varia sunt, et multiplicia, ut a benigna synochi forma, ad lethiferam maxime indolem gradus innumeros observare possis.

Plurimum imago morbi per constitutionem modificatur ita, ut secundum diversitatem constitutionis, diversam etiam faciem induat.

Aliam aliquomodo offerunt formam plethorici, aliam constitutione biliosa donati, aliam denique cachectici.

§. 12.

a) Plethoricos pestis maximo cum impetu corripit; saepe nullis fere prodromis praecedentibus

homo quasi fulmine tactus prosternitur. Larrey vidit milites infectos in ipso agmine nervorum distensionibus correptas procumbere, vultibus distortis, spuma ante os protrusa, ichore foetido e naribus profluente, oculis prominentibus, et immobilibus. Mox clamore edito corpus totum curvari, aegrum momento citius enecari. Nullum cum hac citissima morbi mora externum symptoma exhibetur; brevi post mortem maculae sphacolosae corpus obsident *).

Facies terribili modo defiguratur; oculi contorquentur horrendum in modum; hi in agone non clauduntur, aspectus maret ferox. Vultus concidit, nares prominent acuminati, os apperitur, lingua tumescit, spuma tecta ex ore protruditur; artus contracti, cutis pallida, coloris plumbei; spiritus repente fit cadaverosus, vix sustinendus. Sanguis e vena missus momento citius coagulatur ut e vase inverso effundi non possit.

§. 13.

Quod si decursus non tam rapidus est, comparet prima die febris valida, omnia stadia febris percurrens, ex pulsu cognoscenda, qui initio parvus est et contractus frequens, postea admodum fortis, repente intermittens, dein formicans; urinae rubrae.

Si aeger primum diem superat, incidit in soporem, interrogatus breviter respondet. Pulsus nunc evadit debilis, aequalis, aestus moderatus, respiratio normalis, sitis nulla; aeger emendari videtur, sed quarta die, nisi crises contingant, nova

*) Curt. Sprengel, Institut. Pathol. spec.

accedit febris exacerbatio fortior prima; qui disparuerant bubones, carbunculi et petechiae noviter comparent, aeger quinta die occumbit.

§. 14.

b) In quibus constitutio biliosa praevalet, vertigine corripiuntur et more ebriorum se gerunt, concidunt, quin desint vires sese levandi, sequitur vomitus.

Febris prima die raro, secundo vero magna cum vehementia et inquietudine aegri accedit; post ejus impetum bubones et carbunculi, raro petechiae comparent. Emendatur status aegri; sed quarta vel quinta die redit febris exacerbatio, quam vomitus comitatur biliosus, et post hanc secundam exacerbationem, febris putrida evolvitur; urinae sunt turbidae cum sedimento flavo.

Qui in febri putrida saepe critici sunt: sudores, diarrhoeae, ptyalismus, hic non contingunt; quae superveniunt diarrhoeae et haemorrhagiae semper sunt lethales. Vomitum excipiunt dolores scindentes in abdomine, aestus validus, sitis insatiabilis. Lingua primo intumescit, albida sensim sicca et nigra evadit: aeger septima die moritur non obstante benigna suppuratione in bubonibus et carbunculis. Hujusmodi aegri foetorem spargunt post mortem qui intollerabilis describitur; corpus universum tumescit.

Accidit saepe in aegris cujuscunque constitutionis, sed praesertim in biliosis, ut sub aestu febrili lumbrici evomantur.

§. 15.

c) Cachectici rarius, et minori cum vehementia a peste corripiuntur, diutius decumbunt, et

raro salvantur. Bubones raro suppurant, saepe per duos, tresve menses lapidis ad instar indurati omni tractamini chirurgico resistunt. Excrementa tam intensive et intollerabiliter foetent, ut, qui in vicinia habitant, auffugere soleant. Sudores cadaverosi saepe tam viscidi, ut linteamina conglutinentur, nunquam copiosi nec universales, nunquam critici, nec levantes, sed exhaurientes; quo magis mors appropinguat, eo magis foetor augetur; post mortem vero intensitas ejus minuitur.

§. 16.

In quibus ex dictis constitutionibus nulla praedominatur, omnibus subiiciuntur symptomatibus quibus plethorici, et biliosi obnoxii sunt, saepe cum repentino et inexspectato transitu unius in aliud.

§. 17.

Quibuscunque symptomatibus praegressis, die morbi secundo, tertio vel quarto, post pruritum in cute, aut aestum cum puncturarum sensu carbunculi, aut praevio nonnunquam dolore bubones pestilentes, vel utrique prorumpunt. Sunt autem isti tumores glandularum variarum, praecipue inguinalium et femoralium profundi, duri, calidi, multum dolentes et ardentes, in suppurationem vel in gangraenam tendentes; carbunculi vero seu anthraces maculae, in faciei, colli praecipue, sed et extremitatum, pectoris, imo abdominis cute prodeuntes, jam laeves, jam parum elevatae, morsibus pulicum non absimiles, cum vesiculis insurgentibus humore tenui fusco vel nigricante turgidis, hisque ad nucis avellanae, imo majorem ambitum auctis, dein ruptis et fluido effuso atrae,

marginibus rubris cinctae, insensiles, numero tres, quatuor, imo duodecim conspectae. Bubo comparente carbunculo saepe evanescit, alias illo crescente hic non perfecte evolvitur; imo buboni carbunculus insidere visus est. *)

Bubones soli ac singuli non praecipitem saltem mali decursum comitantur; aegri enim circa nonum aut decimum diem vel accedentibus alvi dejectionibus foetidis exhauriuntur, vel, si bubones plura tenent loca, sine ullo carbunculo, sub pulsibus fortioribus ac mollioribus, cute madida et sudoribus universalibus saluti accedunt.

§. 18.

Superstites morbo bubonum tamen vestigia diu retinent, aut ulceribus gangraenam concipientibus membra destruuntur. Visae etiam sunt bubonum suppuratione exesorum cicatrices anni tempore eo, quo pestis grassari consuevisset, iterum aperiri, quo facto aeger vertigine, virium jactura, fastidio et vomitu porraceo corripiebatur. Nonnullos simulac ex morbo convaluerunt, statim omnium rerum oblivio cepit, ita ut neque se ipsos, neque necessarios agnoscerent. **)

§. 19.

Genus mortis in peste varium. Pereunt nimirum aegri nunc apoplectico more, nunc sub vomitu cruento, nunc per meram virium vitalium exstinctionem, uti post nonnulla venena observari solet.

---

*) Lernet, dissertatio responsoria ad quaestiones de peste.

**) Curt. Sprengel l. c.

§. 20.

Necroscopia. Habitus externus cadaverum peste demortuorum jam dudum omnium attentionem ad se traxit. Ex illorum nigredine pestis saec. 14. nomen depromsit. Visa sunt cadavera livescere, nigrescere, aut flavescere, solito duriora vel molliora fieri; carbunculos et bubones vel eorum duntaxat vestigia, maculas videlicet lividas exhibere; sanguinem resolutum e naribus, auribus et ore fundere, citius aut tardius in putredinem transire, aut aliorum denique cadaverum more se habere.

Cadavera vero secta similes morbi effectus ostendunt ac post febrim flavam. Vasa meningum turgida, cerebrum molle; cordis musculorumque compages flaccida et livida. Maculae sphacelosae per omnia viscera sparsae minus inflammationem praegressam produnt, quam virium eam jacturam, quae humorum corruptionem producit. Volumen hepatis ac lienis auctum, cystis fellea bile profunde flava referta, quae licet vulgo observata neutiquam tamen caussam morbi nevelant.

§. 21.

Pro pestis essentia habendus esse videtur processus septico analogus, gangraenescenti scilicet similis, ex actione contagii septica et reactione organismi vitali resultans, qui primario in incitatione per inflammationem brevi in gangraenam et sphacelum abituram, secundario in vegetatione per liquationem et resolutionem universalem conspicuus est. *)

---

*) Raimann princ. Path. et Therap. spec. med.

§. 22.

Climatis et potentiarum endemicarum progenies pestis orientalis in Syria et Aegypto praeprimis gignitur. Omni quinquennio Aegyptum vastare fertur; Syriam licet calidiorem et minus salubrem spatio viginti quinque annorum. Auster ardentissimus quem Khamsin Aegyptii, Samiel vel Samum Syri appellant terminos pangere sevitiae morbi dicitur, quod omnia exsiccando contagii propagationem prohibeat. Singulare est, dum populariter grassatur pestis, omnes alios morbos silere, ac in ipsam pestem abire. Frequens est ortus pestis per hyemem, frequens finis per aestatis ardores, ut neque calore solo generari, neque frigore supprimi progressus manifestum sit.

§. 23.

Contagium ipsum alia contagia fixa indole superat. Per plures annos posse nocivam suam indolem servare vel inde patet, quod Viennae anno 1713 eae potissimum domus inficerentur, quae nosocomiorum vices anno 1679 gesserant.

Transfertur potissimum humoribus secretis inprimis mucosis et purulentis; mediante aëre non ultra aliquot passuum distantiam agit; calore adiuvatur, frigore cohibetur; vestimentis arctius adhaeret, quam corporibus humanis.

§. 24.

In genere nemo est qui actioni contagii expositus, ab infectione securum se putare posset; variam tamen variorum hominum esse dispositionem certum est. Etenim et pauperes ditioribus, et qui vitiis victus, aut morbo praegresso aut metu, aut aerumnis corpus effeminarunt, robustis frequen-

tius inficiuntur. Advenae quoque qui climati orientali nondum adsveverunt facilius et malignius peste corripiuntur, quam incolae.

Posse saepius recurrere in eodem homine, expertum habemus. Senes, et qui phthisi laborant, aut melancholici haud facile pesti abnoxii sunt.

Cavere dicitur ab infectione pestis variolarum aut vaccinae virus.

§. 25.

In genere pauci crudelem morbi saevitiem superant, et praefixam ferme lethi metam effugiunt; interea in *prognosi* statuenda majoris momenti est notus epidemiae cursus, et genius, quam symptomata; facies enim levis aeque insidia celare lethales, ac phoenomena periculosissima convalescentiam habere subsequam cernuntur.

Qui prima die nonnisi moderata corripitur febre, ab aliis symptomatibus periculosis immunis, quiete dormiens sanitatem sperare potest.

Aegri constitutionis biliosae, qui large vomunt, reconvalescent.

Qui immediate post primum febris impetum prorumpunt bubones et carbunculi levant, et boni ominis signa sunt, quin tamen critici dici possent.

Carbunculi ubicunque, et quocunque numero, emendationem adferunt, si secunda die in suppurationem transeant.

Sudor moderatus universalis sine ardoris sensu, salutis est nuncius, quocunque die compareat. Urinae copiosae cum nubecula albida post febris impetum, bonum omen.

§. 26.

Aeger, qui prima die ardore vehementi cruciatur, quo bubonum, carbunculorum petechia-

rumque eruptio impeditur, non ultra tertiam diem vivet.

Delirium cum aestu valido statim prima die morbi, omnem recuperandae salutis spem adimit.

Bubones et carbunculi, qui in regione colli comparent, aegrum prima die trucidant.

Petechiae ceruleae et nigricantes mortis pulsantis sunt nuncii. Bubonum, carbunculorum, petechiarum recessum mors sequitur. Sudores partiales semper sunt timendi.

Tremores convulsivi cum horripilationibus, haemorrhagiae et diarrhoeae pessimi ominis symptomata.

Notabis, quae jam commemorata sunt: quod non raro aeger conclamatus decumbat, repente status mutetur, aegerque saluti accedat. Alias aeger convalescens videtur, et momento moritur.

§. 27.

Ubi pestis regnat curandum est

1mo. ne contagium in alios homines transferatur;

2do. ut translatum citissime amoveatur et enervetur et sic ipsa pestis praecaveatur.

§. 28.

Ut contagium in alios homines non transferatur, implendae sunt exactissime regulae quas politia medica in hoc casu praescribit.

Illi vero, qui commercium cum aegris evitare non possunt, a suscipiendo contagio praemuniantur.

Ut aegrum ambientium receptivitas pro contagio minuatur, aut deleatur, nullum certum praesto nobis est remedium. Commendandum interim summopere, ut, qui in aegrorum sphaera commoran-

tur, vitam ducant omni intuitu sobriam, ut vires vitales conservent, digestionem ac se- et excretiones, inprimis transpirationem normales sustineant, a priori vivendi more, dummodo saluber is fuerit, nec subito, nec multum deflectant, tranquilli, metus expertes, imo si possibile hilares sint, et praecipue quoad fieri potest, omnem immediatum et protractum cum aegris et convalescentibus communicationem, moram in effluviorum praesertim halitus, transpirationis, urinae faecumve recenter emissorum sphaera, immediatum indusiorum, integumentorum et aliorum contactum fugiant.

§. 29.

Si de suscepto contagio suspicio adest, convenit, idem in cute, aut ad nares, cavum oris, faucium et ulteriores propagationes forsan haerens citissime amovere, destruere ut initians adhuc illius effectus tolli queat.

Inserviunt contagio amovendo, aut decomponendo: atmosphaera libera, emunctio, et excreatio frequens, collutoria, gargarismata, superficiei totius lotiones et balnea ex aqua saponata, aut acidis mineralibus impraegnata, lenta fluidorum acidulorum aut aceti aromatici ad nares attractio. Effectui contagii primo exstinguendo emetica, diaphoretica et frigus laudantur. Emetica juxta veterum et recentiorum experientias, et praesertim Ipecacuanha sola, aut cum pauxillo Tartari emetici, habito subjecti et symptomatum respectu valde proficua inveniebantur.

Minus celebranda diaphoretica uti infusa florum Sambuci, Chamomillae, Melissae etc. cum Ammonio acetico; aut in individuis non plethoricis ad

phlogisticos morbos minime dispositis cum Camphora, Angelica, Ammonia pura liquida; vinum punsch etc.

Inunctiones totius superficiei cum oleo Olivarum, quies postea in lecto, et sudor subsequens largissimus a longo jam tempore Smyrnae et etiam Tangeri in regno Maroccano faustissima sistunt prophylactica hominibus de suscepto contagio suspectis.

Aër frigidulus tandem, perfusiones et lotiones cum aqua frigida et cum hac et aceto pridem celebrata, dum debita cum cautela et necessaria circumspectione adhibentur, omnino commendanda.

§. 30.

Therapia contra ipsam pestem ob insufficientem naturae diagnosim in formam totam, et singula, si opus fuerit, symptomata dirigenda est. Hinc tractamen varie modificabitur secundum diversas, sub quibus morbus apparet formas.

Venaesectio unice in casu §. 12 allato commendanda prospero cum successu adhibetur.

Reliqua cura pestis a regulis generalibus therapiae specialis non abludit.

§. 31.

Frigoris applicatio a S a m o i l o w i t z contra pestem utilis pridem laudata ubi viribus labentibus succurrendum et sepsi obviam eundum maxime convenire videtur.

Usus quoque olei Olivarum internus praeprimis externo unitus salutaris celebratur: haustis nempe olei dicti Unciis quinque vel sex, inunctaque eodem oleo calido superficie tota, aeger immittitur lecto, bene tectus quiete decumbit ad lar-

gum usque sudorem, quo finito admodum sublevatus est et plerisque in casibus sanatus.

Bubonum et carbunculorum cura eo tendat oportet, ut ad benignam suppurationem perducantur, in utrisque gangraena praevertatur.

§. 32.

Juvabit quaedam adferre, quae suspicionem de peste movent, et postea quaedam adjicere, quae politia medica praescribit.

In provinciis in quarum vicinia pestis grassatur, uti in confiniis militaribus, ad littora maris, medicum sollicite invigilare oportet, ut si phoenomena inconsveta suspecta ei occurrunt, recto tempore ad arma clamare valeat.

Pestis eruptionem semper fere horripilatio praecedit.

Si ex una domo, una communitate aut vicinia eodem tempore, aut post brevia intervalla plures homines iisdem subjiciuntur symptomatibus; aut si hoc iis contingit, qui simul in eodem loco morabantur; si plures eorum intra duas usque quinque dies moriantur; jure pestem suspicari licet, praesertim si ea in vicinia grassatur.

Petechiae, quas tertia aut quarta die mors sequitur, de peste praesente nullum dubium relinquunt, inprimis si iis individua succumbunt, quae cum aegris conversabantur.

Ita quoque de praesente peste loquuntur bubones in regione exillari aut inguinali vel retro aures, licet nonnunquam tam exigui, ut vix observentur et nisi dolore sese prodant, qui intra primum et tertium diem a febris initio comparent.

Manifestissimum signum pestis sunt carbunculi; hi tertia — quarta die prorumpunt; primo comparet macula rubra ardens, cui parva vesicula insidet tenui ichore repleta, haec intra duodecim horas rumpitur et ulcus relinquit nigricans marginibus rubris inflammatis cinctum *).

§. 33.

Medici, qui in regionibus suspectis quaedam ex allatis symptomatibus observant, aut quibus in praxi morbi symptomatibus inconsuetis horribilibus stipati occurrunt, qui semet per contactum aliis hominibus communicant, et brevi morte terminantur, pestem suspicantur, ipsi tamen de natura morbi convicti non sunt, illico consilium aliorum medicorum peritorum implorabunt, casumque superioribus insinuabunt.

Aeger interea separetur, et omne commercium cum reliquis hominibus sollicite impediatur; ne quoque res aufferantur aut adferantur, vigiliae ante domum collocentur, quarum erit, omnibus, medico excepto, introitum interdicere; illis vero qui cum aegro versantur exitum prohibere.

Eodem modo procedendum si in cadavere defuncti quaedam observarentur, quae suspicionem de peste largirentur; cadaver custodiendum, et commissionaliter inspiciendum.

§. 34.

Consilium convocatum a medico ordinario de origine et decursu edocendum est, non neglecta cadaveris inspectione. Si a consilio morbus pro peste declaratur, salus publica summopere periclitatur;

---

*) Schraud, histor. pestis Syrmiensis.

ideo inommisse omnia strictissime adimplenda, quae leges medico politicae exigunt.

§. 35.

Ubi pestis grassatur, per totum tempus civibus, capitis, supplicio imperetur, ne sine peculiari venia aut jussu domo exeant; ab hac lege soli medici, chirurgi obstetrices, hominesque a consilio sanitatis delegati, peculiaribus signis insigniendi excepti sunt. — Quivis locus, peste detentus in plures sectiones dividatur; quaevis sectio habet commissarium, consilium sanitatis repraesentantem, suoque in districtu plena potestate instructum, porro medicum, chirurgum, obstetricem, pharmacopolam, notarium, famulos, vespillones et necessaria.

§. 36.

Inspector sanitatis publicae, consignatione habitantium instructus quotidie socio medico et chirurgo ad quamvis domum accedat, datoque determinato signo herum evocet, qui quaestionibus circa sanitatis conditionem habitatorum respondeat; sani ad fenestras se ostendant; uno, alterove defficiente aut de laesa valetudine conquerente illico medicus adducatur. Praesente peste aegerad nosocomium, cadaver ad coemeterium, et qui cum illis commercium habuerunt, sicut et res contaminatae ad contumacias transferantur. Cadaveribus de asphyxia suspectis in coemeterio locus ab athmospherae injuriis custoditus concedi debet.

§. 37.

Inspector annonae horis pomeridianis de domo ad domum se convertit ut necessitates familiarum cognoscat; petitiones scriptotenus vel vero alta voce

ſiant. Chartae tenaculi ope suscipiantur, et ante ulteriorem usum sulfuris vapore expurgentur. Nummi in acetum coniiciantur, rejectoque fluido siccantur; egeni victum et vestes sumtibus publicis accipiant. Alimenta in corbibus e laminis circumferantur potulenta in vasis ligneis aut vitreis absque epistomeis ex subere; aquae esto abundantia.

§. 38.

Inspector politiae invigilet, ut leges praescriptae exacte observentur. Invigilet ut plateae mundae serventur, ut noctu illuminentur, a militibus vigilantibus permeentur, ut nullum commercium habitatorum concedatur, ut loca publica claudantur, ut victualium optima sit qualitas; animalia domestica minora interſiciantur; boves, equi, porci ad loca pascua sepe munita aut in stabula in campis vicinis confecta includantur. Locus peste infectus duplici fossa circumdetur sufficientibus vigiliis custodienda.

§. 39.

Incolis animus addentus est per Religionis principia; etsi ecclesiae claudi, et officia divina publica interrumpi debeant, nil tamen obstat, quominus pietas incolarum, religionis saltem catholicae et graecae circumlatione sanctissimi Sacramenti, et imaginum sacrarum confortetur. Porro cum imaginatio omne malum sibi gravius quam revera est, pingere soleat, incolis peste circumdatis de rerum statu sincera ratio reddi debet; tandem et regulae diaeteticae singulis accomodata promulgandae sunt. §. 28.

§. 40.

Periculo pestem contactu acquirendi praesertim abnoxii sunt sacerdotes, medici, chirurgi, aegrorumque custodes. Sacerdotes confessionem ex longinquo audiant, sacram coenam et extremám unctionem ope virgae metallicae porrigant, genu flectere evitent. Medici, antequam pulsum explorent, manus aceto lavent, oleo, seu butyro inungant, subtili chirotheca, et baculo utantur; halitum aegrorum evitent; juvabit vestem ex tela cerata, colceosque ligneos induere; absoluta visitatione aceto manus lavandae; osque fovendum, vestes mutandae sunt; idem chirurgi et aegrorum custodes faciant.

§. 41.

Omnes hae curae terminum tunctantum attingunt, dum pertres septimanas nullus novus pestis casus inter incolas adparuit, dum aegri reconvaluerunt, reconvalescentes nullas recidivas patiuntur, et praeprimis dum opus expurgationis loci infecti absolutum est.

§. 42.

Expurgatio loci infecti orditur a domibus, in quibus pestis grassabatur; si hae domus ligneae sunt et parvi praetii, comburendae sunt. Alias muri abradendi, iterumque calce obducendi; pavimentum, januae, trabesque simili modo abradendae, additoque aceto lavandae. Quaevis latebra exacte examinanda, ne objectum contagio imbutum ibi relinquatur; neve vestes aut aliae res sub terra recondantur, horti aeque ac chortes profunde perfodiendi sunt. Domus suffumigiis implentur, ac dein apertis januis et fenestris aëris flatui exponantur.

Eodem modo domus, in quibus pestis non apparuerat purgandae sunt. Interea continuatur contumacia domestica hominum, qui pungationem perficiunt. Purificantur et ecclesiae, aliaque loca publica, tandem et nosocomium et contumacia. Nunc primum incolis venia concedenda ut libere in plateis incedere possint; multorum tamen hominum conventus ante sextam septimanam non concedatur. Dies illa memorabilis, qua regio peste infecta pro insonte declaratur, celebretur cantu solenni Deo sospici gratias agendo.

LITERATURA.

Dimerbroëk de peste. 1646.

Deidier, traité des causes, des accidens, et de la cure de la peste. Paris 1744.

Chenot, de peste Transsylv. ann. 1755 usque ad fin. anni 1757. Vindob. 1766.

Samoilowitz, mémoire sur la peste qui en 1771 ravagea l'empire de Russie, surtout Moscou. Paris 1783.

Orraeus, descriptio pestis. Petrop. 1784.

Schraud, hist. pestis Syrmiensis annorum 1795, 1796. Budae 1802.

Russel, Abhandlung über die Pest. Aus dem Englischen. Leipzig 1792.

Lernet, dissert. responsoria ad quaestiones de peste.

C. Sprengel, Instit. Path. spec.

Enrico di Wolmar, über die orientalische oder Bubonen-Pest. In Hufeland's Journal.

Jos. Frank, prax. med. universae praecepta.

Val. ab Hildenbrand, instit. practico-medicae.

Isfordink, militärische Gesundheits-Polizei. II. Band.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Vaccinatio magnum est pro genere humano beneficium.

2.

Fidus sanitatis custos est dolor.

3.

Lux non solum in organon visus, sed in universum organismum agit.

4.

Ophthalmiatria pulcherrimus sed et difficillimus medicinae ramus est.

5.

Qui cataractam extrahendo, corneam sursum scindit, melius facit, quam ille qui deorsum.

6.

Per praedictiones veras communiter melius famae suae consulit medicus, quam per felices curationum successus.

7.

Scrophulosis saepe innascitur, saepius per vivendi modum aquiritur.

8.

Leges publicae, quae partum serotinum tuentur, legi naturae non contradicunt.

9.

Gangraena nosocomialis est symptoma typhi contagiosi.

10.

Putredo sola est unicum verum signum mortis.

11.

Medicus castrensis prae aliis cunctis medicinae atque chirurgiae scientiis imbutus sit oportet.

12.

Medicus castrensis tam medici, quam militis periculis exponitur, hinc plura quam medicus et peiora quam miles patitur.